

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0977

0975

0981

0971

404

terrorem et nondum completac fuerunt iniquitates Philistinorum,  
sicut Amorraeorum, ut iam expelli potuissent. Et ita via filio-  
rum Israel fuit multum longa et curva et per desertum ab  
alia parte maris mortui adscenderunt per regnum Og, regis  
Basan, et per regnum Seon, regis Amorraeorum, usque ad  
locum, ubi Jordanis faucibus maris mortui allabitur, et ibi  
exsiccato Jordane contra Jericho in terram sanctam venerunt.  
Abraham vero et Jacob et filii eius, Joseph et Maria et cae-  
teri, descenderunt in Aegyptum per viam communem negotia-  
torum super littus maris magni, habentes ad dextram mare,  
ad sinistram vero desertum, et hodie communis strata est et  
via regia descendantium de Gaza in Aegyptum, quamvis et  
ipsa via sit arenosa et laboriosa, in qua ostenduntur quaedam  
insignia itinerationis beatae Mariae Virginis et Joseph cum  
puero Jesu, utpote locus, in quo a latronibus fuerunt invasi  
et comprehensi. Dicit enim Anshelmus, quod dum Joseph  
cum Maria Virgine et puerō Jesu per viam eam descenderunt  
et quiescendi gratia in quodam loco residerent Virgoque beata  
puerum Jesum lactaret, ecce, Arabes latrones de penetralibus  
erumpentes eos circumdederunt, ut caperent et spoliarent; ju-  
venis autem quidam, filius principis latronum, videns puerum  
in gremio matris, tactus divinitus miro amore exarsit in pue-  
rum, non dubitans, divinum quid in puerō latere et postulato  
puero a matre eum cum ingenti veneratione accepit et deos-  
culabatur dicens: O puer inclite, mihi, dum oportunum fue-  
rit, miserere! Haec dicens cum fletu puerum matri reddidit  
eosque de manibus sociorum eripuit et via secura ostensa  
abire permisit. Hic autem juvenis dicitur fuisse latro ille,  
qui in cruce cum Christo pendens dixit: memento mei, Do-  
mine, dum veneris in regnum tuum. Tertia vero via est a  
Gaza in desertum contra montem Synai directe, per quam  
S. Elias transivit et caeteri sancti, qui visitare montem Dei  
Oreb volebant. Et haec est via nostra, et modo, qui sequitur,  
processimus.

0986

0966

1026

0926

1076

0876

0476

Ende

Anfang

